UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Qvatvor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conuersione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

3. Detecta calumnia authores puniuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

Visual Library

rum; ſed periculo fidei ſacroſanctæ tàm diuturnis illuc inductæ ſudoribus in æternum, & ignominioſum exilium pellendæ. Deo igitur ſupplex Dei cauſam eò ardentiùs commendabat, quò tota Sciaochino nobis infenſior produci teſtis non poterat, tribus illis fabricæ Præfectis, quorum gloriæ intererat, ne noſtris, vt falſo fiebat, turris gloria attribueretur, eratque illis tam facilè mentiendo noſtros regno eiicere, quam Sinis pronum eſt mentiri. Comitatus eſt accuſator Viatorem ſeruum, & tribus iuuentis quos euocabat Gubernator toto itinere pertinaciſſimè inſtitit, falſis, veris, precibus, etiam pretio, ſi mallent teſtimonium vendere, vt ſecum ſentirent, & facerent. Vt tamen de genibus ad tribunal ſtetere ij quidem in medio; hinc inde accuſator & Riccius; pone duo illi calumnioſæ tragœdiæ Architecti, interrogatus ex tribus Præfectis ætate prouectior (& erant omnes ætate ſenes) ecquid ſcirent de iis quæ ad turrim contigerant? reſpondet, vnáque alij; & ſcire, & vidiſſe, narrántque fuſiùs lapidationes, puerum pridie ſub noctem deprehenſum, clauſum, ſtatimque proborum hominum precibus liberatum quæ verbis propè totidem ab Indo iuuene, qui ſaxa protulerat fuerant enarrata. Res eſt igitur, ſubdit vultu irato Gubernator, heri ſub ſerum geſta, nec puer triduum à Patre detentus, & clauſus? cui ſenex, nequidem decimam horæ partem: nec fuit pluribus Gubernatori opus; indignitate ſceleris accenſus, & diſcriminis grauitate in quod per fraudem adductus fuerat, innocentiſſimum, & amiciſſimum damnandi, extemplo edicit accuſatorem ſacrilegum, in ventrem humi pronum, coram omnibus à carnifice diſtendi, & crura eius fiſſarum arundinum graui faſce (quæ ſolent ſanguinem & fruſta carnium paucis ictibus ducere) vehementiſſimè verberari, fruſtra ſupplicante pro venia Riccio; Gubernatore indignum venia inclamante, plagiſque ſingulis, condigna ſceleſto, conuitia ingerente, quibus exterriti concinnatores fraudis, iidemque falſi teſtes, clàm ſe per mediam turbam illuc trahunt vbi non poſſent deprehendi. Tam illuſtris fama iudicij complures exciuit, vt gratularentur honorem Riccio glorioſè aſſertum. Poſtridie adfuit à Gubernatore apparitor, & edictum, priori longe ſeuerius domus noſtræ foribus affixit quo pœnis grauiſſimis omnis ab ea eiúſque incolis prohibebatur iniuria. Præterea Riccio ex amantiſſimi patroni recenti Magiſtratu, recens accreuit lætitia, regio enim ab aula diplomate in gradum Cincitani prouectus Gubernator, eadem ex ſede, atque vrbe trium ditionum regendis vrbibus auctus eſt; exploſa ſuperſtitio Sinarum qui vt ex omni re expiſcantur futura, ominabantur ipſi triſtem gratiæ in aula iacturam ob defenſionem & beneuolentiam Patribus præſtitam; ipſe verò illius tàm honorifico in nouam poteſtatem exitu confirmatus, factus eſt nobis addictior, & ſolito crebrius Mandarinos complures data opera ſecum trahens domum noſtram venit, inſpecturus Mathematica inuenta quæ ſuaptè tùm manu elaborabat Riccius, tàm Sinenſium Fabrorum qui

3. Detecta calumnia authores puniuntur.

4. Mathematica Riccio vtil.

ſuas

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN